D. O. M. F. A.

Autoritate & permiſſione

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ JENENSIS,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI ATQUE EXPERIENTISSIMI

DN. JOH. ARNOLDI FRIDERICI,

Phil. & Med. D., Anat. Chirurg. & Botanic.
Prof. Publ. longè celeberrimi, Sereniſs. Ducis Saxo-Altenburgici Medici Provinc. feliciſſimi.
Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris omni honoris & obſervantiæ cultû proſequendi,

DISSERTATIONEM MEDICAM

DE

ATROPHIA

publico φιλιάτρων examini

ſiſtit

SAMUEL CHEMNITIUS

VINARIENSIS, AUTOR.

Ad diem Martii, Anno M DC LXXII.

H. L. Q. C.

JENÆ,

Literis JOHANNIS NISI.

Prænobiliſſima Magnificentia
Conſultiſſima Experientia
EXCELLENTISSIMO

DN. RUDOLPHO WILHELMO Kraußen/

HÆREDITARIO DOMINO
in Mellingen/
JCTO CONSUMMATISSIMO,
SERENISSIMÆ AULÆ SAXO-VINARIENSIS
CONSILIARIO INTIMO,
CANCELLARIO EMINENTISSIMO, PRÆSIDI PROTOSYNEDRII GRAVISSIMO.
MECÆNATI MAXUMO, SUSCEPTORI GRATIOSISSIMO, PATRONO SUBMISSE DEVENERANDO,
Primitias ſtudiorum Academicas devotè ac humilimè conſecrat
SAMUEL CHEMNITIUS
Vinarienſis, AUTOR.

I.N.J.

PROOEMIUM.

IN rebus humanis , ſi quicquam eſt, cujus in hâc mortalitate poſſeſſio jucundiſſima dici mereatur, certè bona valetudo eſt. Hæc enim autore *Plutarcho lib. de tuend. valetud.* maximè divinum longeque blandiſſimum vitæ eſt condimentum, & res pretioſiſſima; quæ vel Sacrâ Scripturâ teſte *Eccleſiaſt. c.* 30. quôvis præſtantior aurô: Imò, ſummum, ſi cui datur, bonum eſt, ut vult *Ariſt. lib. I. Ethic. c. 9. Eâdem*, inquit, *Variola. loc. com. nil meliùs obtinemus & nil jucundiùs amittimus*, *cùm*, *ut veteres dixêre, vita ſit non vivere ſed benè valere.* Hinc non immeritò tanti æſtimatur ſanitas, ut omnibus honoribus atque divitiis præponatur; Quid enim honores juvant, quid divitiæ, ſi quis lecto affixus frui iisdem nequeat? Quid juvant Attalici eſculentorum & potulentorum apparatus, ſi ægri animus, & ventriculus nauſeabun-

dus ea nec appetat quidem? Summam hanc bonæ valetudinis excellentiam quàm optimè expreſſit Phœnix ille Lyricorum Poëtarum *Venuſinus*, *dum lib.* 1. *epiſt.* canit

Si ventri benè, ſi lateri pedibusq; tuis, nil
divitiæ poterunt regales addere majus.

Quare, cum non minima felicitatis noſtræ pars in aureâ hâc ſanitate ſita ſit; hæc autem ob humani generis fluxam fragilemque naturam, multis variisq; mutationibus ſæpè obnoxia reddatur, ipſe Altiſſimus, ut iterum Sacræ Literæ nos docent *Eccl. c.* 38. creavit de terra Medicinam, quâ peritus Medicus præſentem in corpore ſanitatem tueri, & infelices iſtas morborum myriades, quibus vitæ noſtræ ſæpiſſimè inſidiæ ſtruuntur exitioſæ, depellere queat. In quorum numero cum locum etiam minimè poſtremum obtineat notus iſte affectus, Græcis qui ἀτροφία, Latinis etiam *tabes* dicitur. Quæ, ut *Cornel. Celſus lib.* 3. *de Med. c.* 22. ſcribit, diutiùs ſæpè & periculoſiùs eos malè habet, quos invaſit, & niſi in tempore curetur, planè è medio tollit; animus eſt, exercitii gratiâ huncce affectum paulò accuratiùs perquirere, ejusque Naturam & Curam, quantum quidem per ingenii mei tenuitatem licebit, ſecundum commentatoriam Methodum paucis

cis pagellis includere, Summus Archiater, DEUS T. OPT. T. MAXIMUS meis conatibus ex alto benedicat, eosque ita dirigat, ut vergant in Nominis ſui gloriam, & ægroti proximi commodum!

CAPUT I
nomen evolvit.

CUm verò vocabula ſint rerum quaſi involucra, quibus evolutis, ipſæ eò meliùs conſpiciuntur, operæ pretium fore exiſtimo, ut, antequam affectus noſtri definitio formetur, NOMINIS aliqua præmittatur EXPLICATIO.

Hæc autem tribus potiſſimum partibus communiter abſolvitur: Etymologia, Synonymia & Homonymia, quæ ſingula ex ordine jam veniunt ſpectanda.

ETYMOLOGIAM quod concernit: Atrophiæ nomen origine Græcum eſt, compoſitum ex particula *A*, quæ præter alias multas ſignificationes, quas Lexicographi proponunt, στερητικὴ eſt, vimq́; privandi obtinet; Et à vocula τροφὴ quod ipſis alimentum ſive nutritionem notat: Et ſic ratione nominis atrophia nihil aliud eſt, quam nutritionis privatio, ita enim à *Galeno* vocatur, *qui lib. VI. de cauſ. ſymptom. c. 1.* κατὰ δὲ τὴν inquit, τῆς θρέψεως ἐνέργειαν, ἀτροφία μὲν, ἡ στέρησις τῆς ἐνεργείας· ἐλλιπὴ δὲ θρέψις, ἡ ἰσχνότης. *In nutriendi autem actione privatio quidem nutritionis eſt atrophia, deficiens verò nutritio, gracilitas.* Hinc ἄτροφοι dicuntur, *qui cibum non ſentiunt*, judice *Plinio lib. 22. c. 25.* hoc eſt, qui ex alimentis, quos aſſumunt, nullum nec corporis nec virium incrementum capiunt.

Notandum tamen, ut benè monet *B. Schenckius Inſt. Med. lib. 2. ſect. 5.* literam *A* hîc non meram negationem, ſed difficultatem tantùm & notabilem receſſum ſignificare: Id quod etiam *Sennertus* innuit, dum *lib: 2. Inſtit. Medic.* ablata, *inquit*, nutritio eſt in ἀτροφίᾳ quoad ſenſum ſcilicet, quô dijudicamus partes non nutriri, quas indies tabeſcere videmus, quamvis reverâ alantur. Nam aliàs non viverent. Sed alimentum adeò parvum eſt, ut ſenſum lateat.

SYNONYMIS gaudet variis: Vocatur enim Græcis etiam φθίσις & φθόη, (latè ſumtis vocabulis,) it. σύντηξις, μαρασμὸς, qui morbus ſenibus præcipuè accidit, de quo *Galenus* pecul. libr. περὶ μαρασμοῦ ſcriptum reliquit. Latinis dicitur Tabes, gracilitas, corporis conſumtio vel extenuatio, macies. Sic *Ovid. in lib. Triſt.*

Oſſa tegit macies, nec juvat ora cibus.

Et Virg. Æn. 3.

Cum ſubitò è ſylvis macie confecta ſuprema,
Ignoti nova forma viri, miſerandaque cultu
Procedit,

Hebræis מַק vocatur, à radice מָקַק tabeſcit. Gallis, la chartre, h. e. maledic qui fait devenir tout ſec, ut ab illis deſcribitur. Italis Tiſichezza ſ. marcia: Germani appellant, das Schwinden der Glieder/ Abnehmen des Leibes/ wenn einem keine Speiſe truhen wil.

HOMONYMIAM quod attinet: Atrophiæ vocabulum, non ſecus, ut à *Galeno 3. aph. 10.* vox φθίσεως, dupliciter accipitur. 1. Generaliter & in latiori ſignificatione, pro quacunque corporis tabe & extenuatione quacunque de cauſa vel occaſione obortâ: Quâ ratione non ſolùm phtiſin propriè ſic dictam, verum etiam hecticam febrem

&

& μαρασμὸν ſenum ſub ſe comprehendit: Quô ſenſû etiam *Hippocrates lib. de internis paſſ. 2.* Tabes, *inquit*, alia ex labore, alia à defluxione ex capite, alia ex dorſo, qualis interdum noviter uxoratis contingit. 2. Specialiter & magis propriè pro tali, quâ citra pulmonis ulcus aut hecticam febrem, vel etiam aliarum cauſarum evidentium vim, corpus non alitur, & naturaliter ſemper aliquibus decedentibus, nihil vero in aliorum locum ſubeuntibus, ſumma macies oritur, ut *Latinorum Hippocrates, Corn. Celſus lib. de vet. Med. 3. c. 22.* & *Jacob. Primeroſ. lib. de Vulg. in med. error. 2. cap. 6.* docent.

CAPUT II

rem definit.

NOminis evolutione peractâ, definitio, quæ *autore Ariſtot. lib. 1. top. 5.*, quid res ſit declarat, tradenda eſt: Hâc enim ignoratâ, *Cicerone lib. 1. de Off.* teſte, res ipſa, de quâ tractatur, ignoratur.

DEFINITUR autem ATROPHIA *extenuatio corporis utplurimùm totiûs, interdum partis cujusdam tantùm, cum langvore & virium dejectione, à facultatis nutricis imbecillitate, alimenti defectû aut vitio trahens originem.*

GENUS, quod in definitione formæ locum obtinet, eſt *extenuatio*, vel ut *J. Heurnius* loqui amat, *acciſio*, totius molis detractione, cutis laxitate & diſtenſione ſeſe manifeſtans, & oculari inſpectioni ſubjiciens: Quâ ratione tùm habitui athletico, de quo *Cous aph. 3. ſect. 1.* agit, tùm corpulentiæ nimiæ, quâ corpus præter naturam augetur, opponitur.

Extenuationem autem dum vocamus, non quamlibet & quamcunque, ut ſupra dictum fuit, intelligimus, ſed illam

illam tantum, quam ſub neutro ſtatu vel latitudine iſtâ ſanitatis comprehendere quis poſſit, qui neutrum ſtatum admittit. Si enim prævià alimenti penuriâ, vacuatione immoderatâ vel aliarum cauſarum evidentium vi, vel acutô morbó corpus conſumitur, atrophia non appellatur, ut docet *Fernel. lib. 6. c. 8.* ſed duntaxat, cum lentè ac pedetentim, nullâ harum prægreſsâ causâ, illud, licet alimenta quotidiè aſſumantur, non alitur, ſed indies contabeſcit corpus.

Cùm verò plerique Medicorum atrophiam pro *ſymptomate facultatis naturalis*, quidam *vitalis* agnoſcant, morbum quendam, quem, ut umbra corpus ſequatur, præſupponi neceſſe eſt. Si igitur quisnam ille ſit, quæratur? Reſpondemus ex *Galeni lib. 1.* περὶ μαρασμοῦ, eſſe *intemperiem ſiccam*, eamque cum immodica caliditate aut frigiditate conjunctam, trahentem ſecum morbum compoſitum, magnitudinis imminutionem: Quamvis tamen intereà non negemus, poſſe etiam morbum ſolutæ unitatis eſſe, quùm ſæpê vulnera cruri aut brachio inflicta, talismodi atrophia inſequatur.

Hîc non ad definitionis tantùm, verum etiam cauſarum meliorem intellectum, paucis delineabimus modum nutritionis corporis noſtri ex mente præcipuê recentiorum, qui talis: Urgente in nobis appetitû, cibum & potum ad vitæ ſuſtentationem aſſumimus. Potus cibusque liquidior oris officium non implorant, ſed ſolùm cibus ſolidior, quî quamprimum ori immiſſus eſt, dentibus comminuitur, gratâque ſeri aſpergine irroratur, ad meliorem in ventriculo coctionem inſtituendam, Judice *Mœbio in Inſt. & Schenckio in Hiſt. de ſero ſangv.*

Cibus in ore maſticatione ita præparatus, ut & potus, alia-

aliaque liquidiora aſſumta, crebrâ agitatione & linguæ motû in œſophagum, mox in ventriculum deſcendunt, in quô ad tempus retenta, humidô diluente, acore ſ. fermentô incidente & calore fundente, concoqvuntur & in chylum lacti ſimillimum mutantur, docente cum aliis *Th. Barthol. tract. de lact. thor.*

Factus hâc coctione chylus, teſte *Pecqueto, exper. nov. anat.* jecoris & diaphragmatis motû per reſpirationem indeſinenter inſtituto, ſenſim ac ſenſim emittitur per pylorum ad inteſtina tenuia, ubi bili & ſucco Pancreatico commixtus ulteriùs expolitur, purumque ab impuro ſeparatur. Ex his per venas lacteas inteſtinis undiquâque inſertas, partim mediatè, partim immediatè, nimirum per pancreas Aſellianum, ad glandulas lacteas lumbares, circa renum regionem ſitas, & primum à Pecqueto in cane, mox à Th. Bartholino in homine detectas, compellitur. Ex quibus deinceps, lymphâ ceu vehiculô ipſis accedente, ulteriùs aſcendit per ductum thoracicum ad venas ſubclavias, donec intra venæ cavæ truncum aſcendentem circa jugulares externas, inſerto ductû mixtus cum ſanguine refluo chylus, communi tùm demum fluxû in cor, veram alimenti præparandi officinam ſeſe præcipitet. In hoc laboratorio chylus ſanguine ceu menſtruo quôdam mixtus ulteriùs digeritur & coquitur, inque alimentum noſtræ ſubſtantiæ quàm ſimillimum convertitur.

Inchoatur autem ſanguificatio hæc in dextro cordis ventriculo, abſolvitur in ſiniſtro & arteriis. Infuſus dictus liquor in dextrum ventriculum, alterationem patitur juſtam, poſteà mediante pulsû repletus hic, generatum nectar ſanguineum effundit per venam arterioſam, quod naturaliter etiam refluere nequit, ob appoſitas huic vaſi val-

vulas dictas ſemilunares, vel ſigmoidæas ab analogia figuræ, quam litera C græcorum repræſentat. Hæ enim effluxum non verò refluxum admittunt. Transfluens ita novus ſanguis amicè excipitur à pulmonibus, recipitur ab arteria venoſa, in influxu hic non obſtant adpoſitæ mitrales ſivè tricuſpides valvulæ, influxum ſiquidem hæ concedunt, non verò refluxum per hanc viam in ſiniſtro cordis ventriculo, ubi perfecta fit elaboratio. Aorta dicta arteria, ita perfectè elaboratum ſpirituoſum ſanguinem educit per ramum aſcendentem æquè ac deſcendentem, ſicque totum corpus irrigat, reficit, nutrit, auget.

Eorum ſententia quæ vult à bile, pituitâ, melancholiâ corpus noſtrum etiam nutriri, in tantum venit admittenda, in quantum per hos humores intelliguntur portiones maſſæ ſanguineæ naturaliter quæ admiſceri debent. Separati autem humores à maſsâ ſanguinea, & ita à ſtatu naturali deflectentes, pro nutritiis rectè non habentur. Nec videtur novus nutritionis modus per ſuccum nervorum, evincere id, ut ſanguis tanquam idoneum & teſte *Phil. 2. de part. animal.* ultimum alimentum, ab hoc officio nutritionis removeatur, cum ipſe *Willis* acerrimus hujus ſententiæ defenſor *tr. patholog. cerebri de morb. convulſ. c. 8.* concedat, ſanguinem nutrire, ſuccum nervorum autem eum actuare, ut rectè partibus aſſimiletur. Hæc actuatio autem cum vix aliter fiat, ac mediante motû, habemus quod volumus, nempe nervos non communicare materiam nutritivam, ſed cum inhærente ſucco facere ad nutritionem, quatenùs motum concilient partibus, mediante quô materia nutritiva ſanguinea adjungatur quaſi & agglutinetur partibus. Conſuli etiam poterunt à cupido lectore *Magn. Rolſinc. in diſſ. anatom. Harveus exerc. de motu cord. & ſangu. Wall. in epiſt.*

CAP.

CAPUT III
ſubjectum declarat.

SUBJECTUM, PRIMARIUM, ut patet ex definitione, *utplurimum totum corpus eſt, interdum verò partes quædam tantùm*, ut oculi, crura, brachia &c. quæ quandoque naturali ſuô alimentô deſtitutæ, ita contabeſcere coguntur. Ut ex *Foreſti, Horſtii, Varandæi* & aliorum obſervationibus videri poteſt.

Accidit autem iſta conſumtio præcipuè ratione pingvedinis & carnis muſculoſæ; non item ratione cartilaginum, oſſium vel parenchymatis viſcerum. Horum enim ſubſtantia cum ſolidior & durior maximâ ex parte exiſtat, tàm facilè non immutatur: Fiunt quidem partes iſtæ aridiores, quoniam humiditas ipſarum exiccatur: ſed non ita conſumuntur, ut carnes & pingvedo, idque ob cauſam modò dictam.

Hæc Atrophia licet in toto corpore contingat, tamen corpus non in longitudine, ſed in amplitudine potiùs, hoc eſt in craſſitie & corpulentia decreſcere ſolet: Idque oſſium cauſa, quæ non ut partes humidæ & molles extenuantur, explicante ita *Cl: Sebitzio in man. med. pract.*

Subjectum SECUNDARIUM & remotum ſunt partes interiores & viſcera, quæ ab externis in conſenſum tracta ſimiliter tandem contabeſcunt. Nam malus hic hoſpes, poſtquam unum atque alterum membrum ſemel ingreſſus eſt, fines imperii ſui ampliare non deſinit, donec totiûs microcoſmi Monarcha evaſerit, Ex quô deinde interna viſcera in triplici corporis noſtri regione obvia ſæpiſſimè exſiccata reperiuntur. Cerebri enim humiditas, ut aliàs in Venereis quoque accidit, paulatim abſorbetur.

Pulmones & cor, ut in melancholicis fieri amat, exſiccantur. Sic *Philippus Melanchton lib. 1. de anima* refert, Caſimiri Marchionis Brandeburgici, ob ingenes mœrores defuncti cor, pyri toſti faciem repræſentaſſe. Hepar inſigniter imminutum & flaccidum, & Lienem ovi columbini magnitudinem vix excedentem ſæpiùs obſervârunt Anatomici. Omentum ferè penitùs abſumtum Patavii in fæmina ſe obſervaſſe *Nobiliſſ. Dn. Præſes, Præceptor noſter honorandus, in Colleg. Anatomico-Chirurgico* recenſuit. Viſcera & vaſa interna omnia flaccida & exſangvia, in muliere atrophiâ mortuâ, poſt ſectionem reperit *Otho Heurnius, hiſt. XX. Obſervat. Pract.Serneliano operi annexarum.*

CAPUT IV

cauſam immediatam & mediatam proximiorem explicat.

CAuſarum notitiam in cognoſcendis & curandis humani corporis affectibus Medico quàm maximè utilem eſſe ac neceſſariam, jam olim docuit Divinus Senex in aureo περὶ φύσιων libro, ubi, ἐν γάρ τις εἰδείη, inquit, τὴν αἰτίην τοῦ νοσήματος, οἷός τ' ἂν εἴη προσφέρειν τὰ ξυμφέροντα τῷ ἐν τῷ σώματι, ἐκ τῶν ἐναντίων ἐπιστάμενος τὰ νοσήματα. *Si quis cauſas affectionis probè cognoverit, facultatem habebit offerendi ea, quæ corpori conferunt, ex eorum, quæ morbo contraria ſunt, cognitione.* Nam

Felix qui potuit morborum noſcere cauſas.

Noſtrum igitur erit atrophiæ cauſas paulò accuratiùs inquirere; quod ut eò feliciùs peragatur, juxta Rolfincianam Methodum *Med. ſpec. comment.* ὡς ἐν γένει, ceu optimam,

mam, cauſas in *immediatam, mediatas proximiores, remotiores naturales, non naturales, præter- & ſupranaturales* diſpeſcemus.

CAUSA τῆς ἀτροφίας ἄμεσος IMMEDIATA, quemadmodum ex definitione colligi poteſt, eſt *imbecillitas nutricis facultatis*, alimentum in toto vel in parte apponere & aſſimilare non valentis.

Oritur autem hæc imbecillitas à defectu caloris nativi, ſine quô corpus noſtrum ejusque partes neque attrahere, neque concoquere, neque aſſimilare nutrimentum poſſunt, docente ita *Clar. Sennerto Lib. Inſt. Med. 2. Part. 3. ſect. 2. c. 1.*

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR humoroſa hîc potisſimum locum habet, eſtque *alimenti defectus aut vitium*. Alimentum hoc, ut ſupra dictum fuit, ſanguis eſt, qui aut planè deficit, aut parciùs à corde per arterias partibus communicatur, aut ita vitioſus eſt, ut partibus non adhæreat, multò minùs ipſis aſſimilari queat.

Deficit autem ſanguis *univerſo in corpore*, propter inediam & voluntariam & coactam, alimentorum convenientium inopiam, ventriculi chylificationem vel cordis ſanguificationem læſam, ob calorem febrilem, *nam ubi febres moram traxêrunt, tunc & vires redduntur imbecillæ, & ſanguis fit paucus* notante *Galeno lib. de marc. cap. 7.* Similiter deficit ob aëris æſtum nimium & diuturnum, corporis motum nimium, ſanguinis evacuationem nimiam, vigilias & curas permanentes, multasque alias ob cauſas, quarum ſequenti capite uberius mentionem facturi ſumus, ubi de rebus nonnaturalibus ſermo erit inſtituendus.

In parte tantùm, propter venarum & arteriarum ad partes illas abeuntium obſtructiones, diſſectionem aut

compreſſionem, ob oſſium fracturas vel luxationes, ob vulnera, ulcera, abſceſſus, tumores duros &c. Quæ ſingula variis modis impediunt, quò minùs ad partes iſtas ſanguis defluere, ipſisque aſſimilari poſſit.

Vitioſus & ad alendum ineptus redditur ſanguis, ſi qualitates vitioſas, humores peccantes, ſalſos, nitroſos, ut in ſcorbuto fieri amat, viſcoſos aut purulentos, ut in ſcabie ſæpisſimè accidit, habeat admixtos. Si ſeri ſeu lymphæ, communis ſui dilutorii expers ſit, ut ſine quô ἄκρατος ſanguis & quaſi incuneatus redditur, id quod bis in ſcorbuto oppreſſis poſt ſectas brachii utriusque pedumque venas, ſe obſervaſſe ſcribit *Excell. p. m. Theod. Schenckius, Hiſt. de Sero ſangv. c. 5.* Si etiam bilis, lympha, quin & ſaliva ſuccusque pancreaticus nō rectè ſe habeant; In his ſiquidem à multis obſervatis ſenſilibusque humoribus, ſed variis modis mutatis atque vitiatis, atrophiæ cauſam quærendam inveniendamque eſſe, arbitratur *Franc. de le Boë Sylvius id. med. pract.* Non admixtum ſuccum nervoſum nutritium incuſat *Willis tr. de ſcorbuto* & alii hujus ſententiæ defenſores. *Sanguinis nutritîtii nimiam abundantiam* atrophiam & tabem præcipuè dorſalem cauſari, quatenus copioſè in ſpinalem medullam irruat, calorem hujus innatum & facultates omnes obruat ac ſuffocet, demonſtrat *River. l. 7. med. pract. c. 7.* ubi Hippocraticam autoritatem adducit. Hic enim *2. de intern. aff. text. 13.* hanc ſpeciem proponit; Ulterius quoque probat abundans nutrimentum cauſam eſſe *l. 5. d. l.* ubi recenſet exemplum viri in Oeneade, qui alimentô copioſô ſcatens, indies tamen magis contabuit, aſt emiſsô ex utroque brachio ſanguine, ad lypothymiam usque, curatus fuit, cū arte adhibita medicamenta omnia in caſſum irent.

Chimici, qui ex principiis ſuis ⊖ 🜍 & ☿ morborum

cauſas

cauſas deducere ſolent, in ⊖ reſolutum & ſpecificè corruptum culpam omnem rejiciunt, id quod ex horum placitis pluribus explicat *Magnif. Rolfincius, Pract. & Chimiæ Prof. Publ. per orbem celebratiſſimus, & totius Athenæi hujus Salani Senior graviſſimus, Mœcenas maximus, & ſtudiorum Promotor filiali obſervantiâ colendus, venerandus, Epit. cognoſc. & cur. part. corporis affect. lib. 1. part. 2. c. 7. de Phtiſi* ubi, *ſal erodens*, inquit, *qualitate & quantitate luxurians, à Mercurio & Sulphure divortium facit, occultatam hactenus ob nutritionis virtutem exſerit malignitatem, bellum utriq; indicit, & ob opportunam matricem in partibus ſolidis nactam, effectus ſuos edit.*

Paracelſus in ſcriptis ſuis tom. 4. tract. de Aridura, adducit impreſſionem cœli & ſolis microcosmici, cujus privationem exſiccatio humiditatis ſequatur. *Helmontius*, Archæum ab officio ſuo dimotum, *Tackenius* verò ſuum Alkali accuſant.

Caput. V

cauſas mediatas remotiores naturales & nonnaturales exponit.

CAuſæ MEDIATÆ REMOTIORES NATURALES ſunt *diſpoſitio hæreditaria. Temperamentum impensè calidum & ſiccum*, quod multum pingvedinis & carnis conſumit, quoniam calor intenſior otioſus non eſt, ſed continuò in partes molliores vim ſuam exſerit. Hinc videmus cholericæ conſtitutionis homines, utplurimum macilentos eſſe: phlegmaticæ contra pingves & obeſos: ſangvineæ, *εὐσάρκους*, benè carnoſos.

Quo

Quò pertinet *ætas juvenilis* docente *Coo, qui ſect. 5. aph. 9. Tabes,* inquit, *iis maximè ætatibus fit, quæ à decimo octavo ſunt anno ad triceſimum quintum.* Idque ob cordis & ſangvinis fervorem, accedentibus juvenilibus exercitiis modum excedentibus, ut explicat *J. Heurnius Comment. ſuper huncce aph.* Quibus adde erratorum in victus ratione multitudinem, notante *Galeno Comment. ad aph. 29. ſ. 3. Ætas ſenilis*, ob frigiditatem ſc. & ſiccitatem apta; *ſenibus enim parum caloris ineſſe,* docuit *Hippocr. aph. 14. ſect. 1.* & *Galenus Comment. de Temper.* ut & *lib. de. Marc. totam poſt vigorem ætatem frigidam ac ſiccam eſſe* aſſerit.

Hùc faciunt quoque, *regio nimis calida;* quemadmodùm videmus Gallos, Hiſpanos, Italos, aliosque populos calidiori ſub climate verſantes, tenerioris ac macilentæ conſtitutionis corporis ſæpiùs eſſe, præcipuè hanc ob cauſam, nempe aëris ambientis caliditatem, quæ humores in corpore non ſolùm adurit, verùm etiam per poros laxiores & undiquaque apertos nativum calorem evocat, ſicque gracilia hominum corpora efficit. Germanos contra, Svecos, Danos & alios alio ſub ſole calentes, pleniori & robuſtiori corporis habitû præditos eſſe conſpicimus; in hiſce enim regionibus aër frigidior & firmior incolarum corpora roborat, & quaſi conſtipat atque inſpiſſat, ut poris clauſis duriora facta, calorem nativum rectiùs contineant, alimenta aſſumta meliùs coquant & digerant, inque ſuccum & ſangvinem laudabilem convertant. Unde poſtmodum fit, ut optimè nutriantur, inque perfectioris ſtaturæ homines ſuccreſcant.

Anni tempora quoad, *autumnus* frigidus & ſiccus atrophiæ ferax habetur *aph. 13. & 16. ſect. 3. Quilibet* enim, inquit *Cous aph. 19. ejusdem ſect. in quibusvis anni temporibus*

morbi

morbi fiunt, nonnulli tamen in quibusdam ipſorum magis tùm fiunt, tùm exacerbantur. Sic *Aph.10. ſect. ejusdem: Autumnus tabidis malus vocatur,* idque ut ex *lib. 1. de Natura Hom.* col*ligi poteſt,* tùm propter *ſangvinem, qui autumno pauciſſimus fit in homine. Siccus enim eſt autumnus & hominem jam refrigerare incipit:* tùm propter *atram bilem, quæ autumno & plurima & fortisſima eſt.* Hoc ſiquidem anni tempus frigidum & ſiccum eſt, & ſangvini adverſatur, melancholiam vero circumfluere facit. *Æſtate* petereà ſucci aduſti fuêre, quod reliqvum in humoribus eſt craſſeſcit, refrigeratur ac ſicceſſit. Nam exhauſtum id eſt ſuo madore ab æſtatis incendio, quemadmodum pluribus hoc explicavit *J. Heurnius comment. ſuper hunc locum.*

Conſtellationes quæ hominem ad temperamentum calidum & ſiccum diſponunt. Martem Soli qui habent conjunctum in leone vel aliis ſignis calidis & ſiccis, per totam vitam graciles ſunt & macilenti, idque eò magis, ſi Venus & Luna ſimùl in ſignis ſiccis deprehendantur, ut docet *Experientiſſ. Gothofredus Mœbius Prof. Publ. quondam hujus Academiæ celeberrimus.*

Quò pertinent etiam aſtrorum aſpectus hominem ad temperamentum frigidum & ſiccum diſponentes, quemadmodum ☾ lumine vacua cum ♄ juncta hominem ad melancholiam diſponere, inprimis ſi in horoſcopo appareat, tradiderunt *Aſtrologi.* ☿ à ♄ in horoſcopo præſertim, læſus, homines ad melancholiam ſumme proclives notat, ex obſervatione *Magnifici Rolfincii Meth. Med. Special. commentat.* ὡς ἐν γένει. ☿ occidentalis pallidos, macilentos, gracilibus membris, vocis acutæ, ſed acuminis ingenii non vulgaris homines pollicetur, notante *Davide Origano in Lib. Ephem. Part. 3. c. 6.*

CAUSÆ NONNATURALES ſunt primò *Aër* externè nos ambiens & vel inſpiratione vel per cutis ſpiracula attractus, qui ſi ſit *nimis calidus & ſicus*, nulliſque imbribus irrigatus, nec ventis ſuaviter ſpirantibus temperatus, inſigniter juvare gracilitatem poteſt. Præterea ſi ſit *nimis frigidus & ſiccus, aut aquilonius*, ut hyeme & autumno ſæpiſſimè accidit. Si vaporibus pravis noſtroque corpori inimicis inquinatus ſit: Hoc ſiquidem in metallariis videre licet, qui in fodinis laborantes, ab effluviis iſtiusmodi fuliginoſis, præſertim ☿rialibus, ♁monialibus, in tabem & arthritidem conjiciuntur, quemadmodum hoc etiam aurifabris, alchimiſtis, ceteriſque hominibus mercurium ſæpiùs tractantibus accidit. Vid. *Paracelſus in lib. 1. tom. 5.* **von den Bergkranckheiten.**

Secundô loco *Cibus & Potus*, quantitate, qualitate & utendi modô peccantes, inprimis in hoc affectu excitando plurimum valent. Quod ſi enim *cibus in minori*, quàm par eſt, *quantitate* aſſumatur, varii morbi variaque ſymptomata inde ſequuntur, totum namque corpus pabulo ſubtracto exſiccatur, humores utiles conſumuntur, viresque dejiciuntur. Cum enim corporis noſtri ſubſtantia, tùm ab inſito nobis calore, tùm ab aëre circumfluo, aliique cauſis aſſidue diſſipetur & difluat, ut *Ariſt. l. 2. de anima* habet *cap. 1.* proinde ne citô diſſolvatur, alimento ad reſumptionem partium abeuntium fluentisque ſubſtantiæ opus eſt, quod ſi occaſione aliqua deficiat, aut parciùs corpori communicetur, fieri non poteſt, quin iſtud marcore & tabe afficiatur; præſertim in pueris & juvenibus, *qui adhuc creſcunt*, hi enim *quoniam plurimùm habent calidi innati, plurimo quoque egent alimento, alioquin corpus conſumitur*, confirmante *Hippocr. Aph. 14. ſect. 1.* & *Aph. 5. ſect. ejusdem. Quicunque*

inquit,

inquit, *error committitur, major in tenui fit, quam in paulò pleniore victû. Propterea etiam ſanis periculoſus eſt valdè tenuis & ſtatus ac exquiſitus victus: quoniam errores graviùs ferunt. Hac igitur de cauſa tenuis & equiſitus victus, eô qui ſit paulò plenior, maxima ex parte periculoſior.* Exemplum hujus præbuit nobis ſtudioſus ille, qui anno præterito hîc loci melancholiâ correptus, cum nullum nec cibum nec potum aſſumere vellet, tandem macie confectus diem obiit ſupremum.

Fit autem hocce non ſolum à cibi defectu, verum etiam ab exceſſu ejusdem. Si enim *quantitate nimia* aſſumatur, ventriculi calor, inprimis ſi debilis ſit naturâ obruitur, chylus corrumpitur, cruditatesque cumulantur, incommodo futuræ toto corpori. Vitium enim primæ coctionis non facilè corrigitur in ſecunda, multò minus in tertia. Unde *Medicinæ Parens 2. Aph. 17.* Ὅκου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων εἰσέλθῃ, τοῦτο νοῦσον ποιέει. *Ubi cibus præter naturam copioſius ingeſtus eſt, morbum id creat:* & *2. Aph. 4. Non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam quod naturæ modum excedat, bonum.*

Qualitatis ratione cibus variis modis nocere poteſt: qui enim eſt nimis calidus, nidoroſas qualitates infert, acris ſimùl corrodendi vim habet; frigidus verò nimis, δυσπεψίαν fabricat; Si prætereà ſit κακόχυμος καὶ δύσπεπτος, *mali ſucci & difficilis coctionis*, duritie aut viſcoſitate excedens, fumo vel vento induratus, ſalibus & aromatibus nimiùm conditus, vel multis humoribus excrementitiis ſcatens, fomitem huic malo ſubminiſtrare ſolet. Iſtius generis ſunt carnes bubulæ annoſæ, piſces ſaliti & fumigati, carnes ſale conſperſæ & fumo induratæ, braſſica muriata, cœpæ, porrum ac allium, quæ caput tetris vaporibus replent. *Fru-*

ctus horarii, qui facilè putredinem concipiunt, ut ſunt poma quædam, ceraſa Amarena & ſylveſtria, pruna cerea, cucumeres, melones, mala perſica &c. *Legumina*, ut ſunt fabæ, lentes, ciceres &c. quæ difficilis coctionis ſunt & flatus generant. *Fungi & terræ tubera*, quæ ſæpè occultâ & venenatâ qualitate humano generi infenſa ſunt, omnia ſiquidem non ſine periculo ſumuntur, cum & malum ſuccum generent & non rarò venenum iis inſit, teſtante *Cl. Sennerto lib. 4. inſt. med.*

In modo utendi non levis committitur error, ſi ſine diſtinctione temporis, ordinis vel quantitatis cibi quotidiè ingerantur, prioribus nondum ſatis concoctis: Exinde ſiquidem coctio turbatur, viſcera primæ & ſecundæ coctioni deſtinata implentur cruditatibus, chylus corrumpitur, ſanguisq; generatur impurus partibus alendis minimè aptus.

Potus alimentum humidius, ſolidorum vehiculum, non minores malum hoc producendi vires obtinet. Quod ſi enim *quantitate deficiat*, liquor chylo conficiendo, eundemque in inteſtina & lactea vaſa deferendo neceſſarius corpori noſtro ſubtrahitur, & tantum abeſt, quin *ciborum coctio*, quæ in ventriculo elixatione fieri debet, rectè peragatur, ut aſſentur & torreantur potiùs cibi, quàm elixentur, chylusque inde & paucus & ſemiuſtus generetur, qui, quoniam craſſioris & terreſtrioris eſt ſubſtantiæ, minimè aptus exiſtit, qui lactea vaſa anguſtiora permeare & per thoracicum ductum, ceu canalem quendam ad cor aſſcendere valeat. Non dicam jam de *liquore* quem pro aſperâ arteriâ humectandâ, pulmonibus irrigandis, & cordis æſtû mitigando neceſſarium, requirit provida mater natura, qui ob potus ſoliûs defectum ſimili modô partibus hiſce ſubtrahitur.

Quan-

Quantitate excedens potus, quos præſtet effectus, exitus probat in illis, qui Thracum more poculis quotidiè certant & Hectores udos ſe præſtare ſolent. Quid enim ebrietas non deſignat? opertam recludit Pandoræ pyxidem, innumeris malis morbiſque ſcatentem. Confirmat *Seneca epiſt. 46. Ex ebrietate*, inquiens, *pallor & nervorum tremor, & miſerabilior ex cruditatibus, quam ex fame* MACIES, *unde incerti labantium pedes, & ſemper qualis in ipſa ebrietate titubatio; inde ſuffuſio lividæ bilis & decolor vultus*, TABES*que*. Potius igitur potatores, ſalutis poculis indeſinenter certantes, de hoc monendi ſunt:

Opto tibi multam, nullam tibi poto ſalutem,
 eſt potior potâ, ſiccâ ſalute ſalus.

Qualitate peccans potus idẽ præſtare poteſt. Si enim *nimis ſit calidus*, corpus præter modum calefacit, calorem naturalem infringit, humidumque radicale conſumendo, viſcera & partes omnes exſiccat, quemadmodum hoc teſtantur illi, qui *vinis generoſis, aromaticis*, vel 🜅 ſæpiùs ſeſe ingurgitant, & ideò frigidi ab *Ariſt. in Probl.* pronunciantur, quoniam ſcil. immodica vini ingurgitatio viſcerum intemperiem maximè augere & nativum calorem extinguere ſolet. *Si frigiditate excedat*, debilem lædit ventriculum, nocetque pulmonibus, epati & cordi; Inprimis, ſi poſt vehementiores motus, corpore nimiùm calefacto & defatigato, frigida avidè hauriantur, & vitam & ſanitatem maximo exponunt periculo. Hùc quoque faciunt *potus nimium adſtringentes, craſſi ac feculenti*, qui obſtructiones pariunt, nec facilè urinã movent. Iſtiûs generis ſunt aqua turbida, cereviſia recens cocta, nec ſatis defecata, muſtum, vina ſuppreſſa vel nondũ fermentata, pendula aut ſulphurata nimis, hæc omnia quippe primæ coctioni impedimento eſſe, eandemque turbare

ſolent. *Cereviſia acida, vinum* acetum ipſum acore imitans, *fumus Tabaci*, ore & naribus frequenter admodum exceptus, ſuâ non carent culpâ. *Acidulæ* prætereà, quin & *aquæ thermales* hîc certô modô non excluduntur.

In utendi modô ſæpiùs commiſſi errores, ingrato huic hoſpiti fores aperire, eundemque humanum intra corpus ducere conſvevêrunt. Iis præſertim, inquit, *Hæferus, Herc. Med. l. 2. c. 2.* noxium eſt vinum generoſum vel aduſtum, qui manê jejunô ventriculô, eô ſeſe ingurgitant. Hinc patriô fertur: **Wer frühe nüchtern trinckt / der bekommt die Dörre.** Cauſam addit; quia tunc vinum citò ad hepar & reliqua viſcera rapitur, illa incendit, indurat & obſtruit. Idem accidit illis, qui ſtatim initiô prandii vel cœnæ, largiùs vinum bibunt. Sicut & illi malè ſibi conſulunt, qui inter cibandum, pocula majora cereviſiâ vel vinô repleta unicô hauſtû evacuant, parùm curantes illud Hippocratis dicterium: Τὸ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης πληροῦν, σφαλερὸν ἐστί. *Semel multum & repentè repleri, periculum eſt.*

Medicamenta calidiora aut frigidiora majori in doſi propinata; purgantia fortiora intempeſtivè & ſine temporis diſtinctione, nec habitô ad corporis vires reſpectû, ſæpiùs exhibita, debilitare hominis naturam, eundemque ad atrophiam diſponere poſſunt. Ut hoc innuere videtur *Hippocrates, ſect. 2. aph. 36. & 37.* Idem præſtant mercurialia & antimonialia, non ritè præparata, vel crebriùs aſſumta. Notatû dignum eſt, quod *J. Rud. Saltzmannus, obſerv. anat. p. 57.* de chirurgo quodam refert, cujus ventriculus, poſt ſectionem, totus eroſus inventus eſt, idque ob crebriorem uſum mercurii fixi ſ. vitæ, qui cum antimonio præparatur.

Hûc pertinent quoque *venena*, ut & alia, quæ occultô mo-

tô mo-

tô modô hanc excitant calamitatem; cujusmodi ſunt *caro leporis marini, carnes & halitus felium.* Quin Rabbi Moyſes *lib. aphor. in Gal. doctr. part. 22.* ſtatuit, *adproximationem ad pelles catorum* generare phthiſin & conſumtionem virtute peculiari, ſicuti indumentum ex pellibus leporum roboret corpora ſenum.

Motus corporis nimius & *exercitia vehementiora*, æſtivo præſertim tempore inſtituta, ut & *ſudores copioſi*, gracilia reddunt corpora, nutricatui dum ſuffurantur pabulum, ſangvineum in vaſis ſangvifluis, balſamicum in nervis; Ita ut non immeritò, *ſemel multùm atque repentè corpus movere, periculoſum eſſe*, pronunciârit *Hippocrates 2. aph. 51.* Nam ſicut corporis motus ut in moderatâ ſaltatione prodeſt, ita ſi excedat modum, nocet: Præprimis autem, ubi mox à paſtu inſtituatur, crudum chylum & vix dimidio coctum in glandulas meſentericas & lumbares præcipitat & varia in nutritionis actû excitat incommoda.

Quies nimia & vita ſedentaria non immeritò hîc accuſantur, ſiquidem nativum calorem obtundunt, chyli coctionem & diſtributionem impediunt, ſangvinis circulationem retardant, & excrementorum ad emunctoria iter remorantur. Quin intermiſſa corporis exercitatio viſcera & membra omnia, quæ motû juſtô vigent, calore ſuô privat, debilitat, enervat. Nec ſangvis, ſuccus alibilis, in debito calore & ſpiritu perſiſtere poteſt, niſi accedente circulari motû, judice *Conringio tr. de ſangv.* hic namque, ſi non promoveatur, ſangvinem facilè corrumpi ſinit, ex quô poſtmodũ imminuitur corporis & partium nutritio, quin laſſitudo, ſcabies, & varii morbi ſequuntur, juxta *illud Poëtæ:*

Cer-

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus,
Et vitium capiant, ni moveantur aquæ.

Somnus & vigiliæ, quatenùs modum excedunt, anſam huic malo dare poſſunr. *Somnus* poſt matutinas deambulationes maximè ſiccat, *Autore Coo 2. de vict. rat.* Si jejunô corpore inſtituatur, itidem nocet, *Somni enim,* ait *Hipp. l. c. in jejuno extenuant & refrigerant, non nimis longi, eam quæ adeſt humiditatem vacuando. Longiores verò, calefaciendo carnem colliquefaciunt, corpusque diffundendo reſolvunt, & imbecillum reddunt;* Cumprimis, ſi interdiù & ſtatim à prandio inſtituatur ſomnus, multa incommoda humano corpori infert.

Vigiliæ immoderatæ, *Autore Magnifico Rolfincio, meth. comm. l. 2. ſ. 3.* exſolvunt hominem bifariam: Primò, *coctionem impediendo,* quod probat autoritate Hippocratis, qui *lib. de vict. rat. vigilias poſt cibos noxias eſſe* pronunciat, *cum cibum colliqueſcere non ſinant; jejunos verò attenuent.* Licet autem hos minùs lædant, nunquã nõ tamen ſpiritus & tenuiorem ſangvinis partem abſumunt, corpusque totum exſiccant. Unde *Ovidius l. 1. de arte:*

Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes.

Secundò *humidum cerebri abſumendo* per motus & ſenſus continuatos, quibus ſpiritus continuò agitantur, & humores æſtum concipiunt.

Literis præprimis qui nimiam navant operam, & *lucubrationes* in mediam usque noctem protrahunt, quos, ut *Perſius Satyr. 5.* loqui amat:

-- -- *non irriguô turgeſcere ſomno,*
Sed ſic nocturnis juvat impalleſcere chartis.

malè ſuæ conſulunt valetudini, dum obtundunt non ſolum oculorum aciem, verum etiam corpus cacochymiâ replen-

replendo pallere faciunt, quin ſcorbutum, ſcabiem, hypochondriacum malum, *atrophiam*, nec raro ipſam phtiſin, difficilem curatû, ſibimetipſis contrahunt.

Excreta & *Retenta*, tàm utilia, quàm inutilia, qualia ſunt *ſemen, menſes, hæmorrhoides, urina, alvi ſcybala*, culpâ non vacant. Illis enim intempeſtivè & præter modum vel excretis vel retentis, corpora ſæpiùs contabeſcunt. Ex *menſtruis reſtagnantibus*, virginem XXXIII annorum, atrophiâ correptam & mortuam eſſe, adnotavit. *J. Ottho Heurnius hiſt. 8. obſerv. rar. Fernel. operi annexarum.*

Venus nimia, vires enervando & naturalem calorem diſſipando, corpori pallorem & maciem inducit.

Balnea ſuum afferunt ſymbolum, quatenùs caliditate excedentia, calorem internum per poros avocant, & vires diſſolvunt, præſertim diutiùs ubi continuantur. Si quis lavetur, cibô nondum concocto, crudi humores in univerſum corpus rapiuntur. Frigida nimis, imprimis poſt ſudores, & corporis defatigationem, valdè noxia eſſe, probat hiſtoria Alexandri Magni, poſt iter in flumine lavantis, quam eleganter admodùm deſcripſit *Q. Curtius lib. 3. cap. 5.*

Nec *veſtimenta* præteriri debent, quæ, ſi anguſtiora ſint, juvare gracilitatem poſſunt; Hinc virgines, ut graciles & junceæ videantur, arctiori veſte ſeſe conſtringunt; aſt ſæpè non ſine ſanitatis periculo, cum corpora earum aliàs tenella facilè ſic atrophiâ vel etiam phthiſi corripiantur; Imò ſæpiùs viſum eſt, ob veſtem nimis adſtrictam, quasdam in lypothymiam incidiſſe.

Animi Pathemata, quantùm, ſi modum tranſcenderint, in hoc affectu excitando valeant, prolixâ explicatione non indiget; docent exempla eorum, qui ſolis hiſce miſerè quandoque contabuêre, ut horum ma-

gnam copiam congeſſit *Petrus Foreſtus* & *Schenckius in obſ. rv.* Ratio autem, cur ex animi affectibus, *ira, amore, triſtitia, curis, &c. tabes & extenuatio* hominibus contingant, hæc eſſe videtur; quòd omne pathema, quod humanas ſic exagitat mentes, & ad cor usque pertingit, varias ibi à naturali conſtitutione in temperie, pulsû & reliquis faciat mutationes. Unde mirum non eſt, quod illud in principio totum alimentum inquinando & vires infirmando, varia morborum genera in membris & corpore ſubindè procreet; quandoquidem totum corpus in illo caſu, vitiato alimento & inopià calidi nativi laborat, explicante ita *Gvilielm. Harvejo, Exerc. de motu cordis & ſangv. circul. pag. 136.*

Caput VI

cauſas præter- & ſupranaturales conſiderat.

INter PRÆTERNATURALES cauſas primas tenet *cor* laborans intemperie ſiccâ, quæ vel cum immodica caliditate vel frigiditate conjuncta eſt; Confirmat *Galenus*, qui *lib. de Marc. Fieri,* inquit, *non poteſt, ut corpus extenuetur, niſi animalis principium affectum fuerit.* Fit autem iſtud, vel per ſe, vel per conſenſum à partibus reliquis; Cor, utpote in quô ſangvis & ſpiritus vitalis, tanquam genuinum omnium partium alimentum elaboratur, per ſe affectum contumacem atrophiam efficere poteſt. Cœtera verò viſcera, quatenus vel chylum crudum generant, vel recrementa rectè non ſeparant, aut aliis morbis laborant, cor tandem in conſenſum trahunt, & huic malo anſam ſuppeditant, judice *B. Mœbio in Inſt. Med.*

Ubi

Ubi *Aqua in pericardio* deeſt, cor torretur & exſiccatur, quod Caſimiro Marchioni Brandeburgico, & juveni illi Romano apud *Panarolum, Pentecoſ. 1. obſerv. 31.* ut habet *Bartholinus lib. 2. Anat. reform. cap. 5.* contigit.

Pulmones, cordis flabella, *intemperie quâdam,* aut *imbecillitate* laborantes, facilè cor in conſenſum trahere, & hanc calamitatem excitare poſſunt. Non dicam jam de earum *exulceratione*, quæ *tabem* excitat *longè periculoſiſſimam, Corn. Celſo* teſte *lib. 3. cap. 22.* Eatenus enim pulmones hîc non conſideramus, ſed quatenùs intemperie quâdam tantùm, aut imbecillitate laborant, vel etiam ab humidiori cerebro crebris deſtillationibus vexantur.

Hepar & *lien,* ſangvinis depuratoria vaſa, quid præſtent in hoc affectu, ſi *intemperie* quâdam laborent, *obſtructiones* aut *ſcirrhum* patiantur, hypochondriaci & ſcorbutici docere poſſunt, ut quorum corpora plerumque ita gracilia redduntur, ut vix oſſibus hærere videantur. Sicuti varia talia exempla recenſet *Schenckius in conſultat.*

Ventriculus, corporis noſtri coquus, à naturali ſtatû deflectens, magnam hîc quoque vim obtinet. Siquidem *nimia ventriculi ſiccitas* peculiarem tabem toti inducit corpori, quàm ideò *Galenus 7. meth. med. c. 4. tabem ex ſiccitate ventriculi,* & *Avicenna 13. 3. tr. 1. c. 29. ventriculi hecticam* appellat. Prætereà ſi *langveat ventriculi calor*, aut ejus *fermentans actio* læſa ſit, non minores in nutritionis actû turbas excitare ſolet. Quò reſpexiſſe videtut *Lindanus in Selectis,* tabem adſerens non ſemper vitiô pulmonum, thoracis &c. ſed *ſoliùs malè affecti ventriculi* culpâ oboriri, quam ſuam ſententiam diſſectorum tabidorum exemplis *lib. cit.* comprobat.

Sed hîc dubium quis movere poſſet, hôc modô:

 Qui-

Quicunq; affectus à corde malè affecto ſuam trahit originem, non poteſt eſſe à ventriculo. Atqui atrophia à corde malè affecto ſuam trahit originem, Ergò. Major ſuâ luce radiat: Minor probatur autoritate *Galeni*, qui *lib. de Mar. c. 1.* ſcribit: *Fieri non poſſe, ut corpus extenuetur, niſi priùs cor exſiccetur,* vel malè ſe habeat, adeoque videtur potiùs hæc conſumtio dependere ab ipſo corde, quam à ventriculo, pulmonibus &c.

Aſt reſpondetur, verum quidem eſſe, quod ab exſiccatione quaſi & aridurâ cordis, atrophia conſummata ac perfecta ſit; Aſt initium in aliis quærendum eſt partibus, quæ primùm læſæ, aut planè non generant humores alibiles, quos cor requirit, aut generant mutilatè ac depravatè. Cum itaque hôc modô, nec cor ſolùm adquirat nutrimentum ſufficiens, multò minùs totum corpus, aridura talis ſequitur. Defectum autem talem utplurimùm contingere ob vitium ventriculi, jecoris ac pulmonum, ipſe *Galenus* docet. *l. 8. m. m. c. 10.* Ratio verò, quapropter cor non exſiccetur ſecundum proportionem totius corporis ſtatim, eſt attrahendi facultas, quam natura ſtudioſiſſima in vitâ conſervanda inſeruit cordi potentiſſimam, quâ ſemper cor validiſſimè ad ſe trahit humidum alimentum, ob quod conſervatur diutiſſimè ab inſigni exſiccatione. Et hinc eſt, quod ſi corpora marcore extincta ſecentur, cor ipſorum non ex toto aridum & exſuccum inveniatur. Igitur hæc eſt ratio, propter quam cor exſiccatur in tabe, ſed non per ſe; verùm potius ob vitium aliarum partium. De his ex opinione *Galeni lib.* περὶ μαρασμοῦ, pluribus diſſerit *Hieronymus Mercurialis lib. 2. med. pract. cap. 4.*

Accidit porrò atrophia, ſi *ventriculus* præternaturaliter conſtitutus, cibos non retineat, ſed per vomitus ſubindè

indè iterum expellat: *herpes ventriculi*, in viro quodam quotidianos vomitus, mox atrophiam lethalem excitavit, notante *Dominico Panarolo, Pentecoſ. obſerv. 63.* Potulenta quoque ſi juſtô tempore non retineantur, accuſanda, præcipuè ſi ſubitò immutata per vias urinarias evacuentur. Ita in binis pueris diabete laborantibus atrophiam magnam obſervavit nuper, & nobis communicavit Nob. Dn. PRÆSES.

Pancreas, ſtomachi pulvinar, *duritie lapidem æmulans*, vetulam quandam Romanam ad quotidianum vomitum, mox atrophiam & mortem compulit, teſte *Panarolo, Pent. 1. obſerv. 64.* A quam variis tumoribus oriatur, recenſet quoque *River. in obſerv.* Similiter, ſi tumor ſit magnus in quâdam parte, qui alimentum ad ſe trahat, atrophiam ſequi, oſtendit idem *l.2.Inſt.ſ.1.c.4.* Confirmat exemplô atrophiæ cruris ſpecialis *Foreſt. l. 10. obſerv. 97.*

Obſtructiones Pancreatis Aſelliani, ut & *venarum lactearum* magni judicandæ momenti: Hæc namque ſi obſtruuntur, chylus in corpus diſtribui non poteſt, quâ de cauſa diffluit aliundè, & per conſequens non nutrit, autore *Wallæo in Med. Pract.* Tabis cauſa hôc modô etiam eſſe poteſt *ſcirrhus in Meſenterio* natus, lactea vaſa comprimens, itemque *ductus Thoracicus*, ob incurvatas dorſi ſpinas, judice, *Th. Barthol. tract. de Epat. exauct. ſect. 2.*

Glandulæ Meſenterii ſi *ſcirrhum* patiantur, ſequitur macies totiûs corporis, quia premunt & occupant divaricationes ramorum venæ portæ (& lacteæ,) qùo minùs per hoſce feratur liberè alimentum, *teſte Eôdem in Anat. reform. lib. 1. c. 12.*

Obſtructio Nervi Optici, oculo atrophiam & cœcitatem inducit, exemplum habemus apud *Foreſt. l. 11. obſ. 29.*

obſ.29. de tabe pupillæ. Cœterorum quoque vaſorum obſtructio, atrophiæ vel in parte, (ut in Paralyſi,) vel in toto (ut in hypochondriis malè conſtitutis) creberrimè hujus calamitatis mater eſt, autore *Mœbio in inſt. med.*

Hùc pertinent etiam *vermes, lumbrici* in ventriculo ac inteſtinis ſtabulantes alimentumque homini ſubtrahentes, quemadmodum & *vermes draconiti* & capillares, quos vocant die Miteſſer/qui pueros ſæpiùs exagitare & in tabem contumacem conjicere ſolent.

Ut in aliis morbis, ita quoque in atrophiâ attendere oportet medicum, an ſubſit aliquid θεῖον divinum ſeu SUPRANATURALE, quod humanam transcendat rationem, & vel ab ipſo Deo, ex juſta vindicta, vel ejus prmiſſu à Satana, per ſagarum veneficia, faſcina & incantationes ſit productum. Quemadmodum hoc *Sacræ literæ* docent, quod DEUS hominum peccata puniturus, ſinat eosdem varios in morbos incidere. Sic legitur *1. Reg. cap. 13.* Regis Jerobeam manum, quam contra prophetam exporrexerat, contabuiſſe, ita ut retrahi non potuerit. Et *Matthæus in Evang. cap. 12.* meminit hominis cujusdam, *qui habuit manum aridam,* quem SALVATOR NOSTER in ſynagogâ ſanavit die ſabbathi, & priſtinæ ſanitati reſtituit. Maximinum Tyrannum, Chriſtianorum perſecutorem acerrimum, *inviſibili ac divinitùs immiſſô igne prorſus tabefactum & extinctum eſſe,* memoriæ prodidit *Euſebius hiſt. Eccleſ. lib. 9. cap. 10.* In *perjuro Gvelferbyti* maciem ſubortam, item puellam quandam decem menſium à *diabolico faſcino* miſerè contabuiſſe, refert *Hieronymus Jordanus lib. de eô quod divinum ſ. ſupernaturale eſt in morbis.*

Faſcinatione à malis hominibus ſæpiùs macies inducitur corporibus, præſertim junioribus, quæ quoniam mol-

mollioris ſunt ſubſtantiæ, facilè ejusmodi impreſſiones ſuſcipiunt. Sic in Africa integræ familiæ dantur, quæ voce ac lingvâ faſcinant, ſi *Aulo Gellio in Noct. Ath. cap. 4.* credimus. Vetulas, ſi diù & fortiter inſpiciant infantes, ob tetros ſpiritus, quos ex oculis multum poroſis ſæpiùs ſpirant, inficere & faſcinare eos poſſe, affirmat *Javellus Lib. VII. Quæſt. Nat. ſuper Ariſt. Phyſ.* Nec deſunt, qui temperamentum quorundam incuſant, per quod ceu animæ inſtrumentum faſcinatio potens eſſe videtur, in laudantibus corporis noſtri conſtitutionem, cujûs præcavendæ gratiâ Græci ſuum *ἀβασκάντως*, Latini *Præfiſcini*, & noſtri **Gott behüts / Gott gebe es ihm zu gute** / addere ſolent. Qui plura de his ſcire deſiderat, adeat *Sennert. in Praxi Lib. 6. c. 1. Codronchium de morb. venef. Roder. à Caſtro in Medico Politico*, & alios.

CAPUT VII

differentias explicat.

DIFFERENTIÆ ex ſupra dictis facilè eliciuntur: Etenim GENERIS ratione, ſi conſideramus *atrophiam*, ea eſt vel incipiens, vel confirmata. *Incipiens*, quæ nondum altas egit radices eſt, in quâ nutritionis organa nondum penitùs labefactata ſunt, atque exigua tantùm corporis apparet macies. *Confirmata* verò ea, in quâ & humida & ſolida corporis ſubſtantia abſumta eſt, corpus langvor habet, & maxima virium adeſt dejectio, cum macie extrema, ita ut ægrotantes cum *Plautino illo Capt. act. 1. ſc. 2.* querelam inſtituere neceſſe habeant:

Marceſco, conſeneſco & tabeſco miſer.
Oſſa atq; pellis ſum miſerâ macritudine.
Neq; unquam quicquam me juvat quod edo.

II. SUB-

II. Subjecti ratione, alia eſt *univerſalis*, quæ totum corpus, alia *particularis*, quæ partem tantùm occupat, & eſt vel in oculo, brachio, crure, vel in gingivis, qualem notat *Crato Conſil. lib. 2. p. 39.* aut in dorſo & lumbis, qualis interdum novellis ſponſis & libidinoſis, ex immodica venere accidere ſolet, adnotante *Hippocrate lib. de internis paſſion.*

III. Causarum ratione totuplex eſſe poteſt, quotuplices ejus cauſæ ſunt, in capitibus antecedentibus enumeratæ. Quârum ratione etiam alia *in toto*, alia *à corde* eſt per ἰδιοπαθείαν, alia per συμπαθείαν à reliquis partibus, utpote *pulmone, jecore, ventriculo* &c. Alia *per ſe* oritur, alia *aliis morbis* ſuccedit. In *parte*, alia eſt ab obſtructione, alia à contuſione, vulnere &c. alia à faſcino aut incantatione, & ſi quæ ſunt aliæ cauſæ, quas hîc iterum adducere nimis longum foret.

Caput IIX

ſigna proponit Diagnoſtica.

Diagnostica signa admodum neceſſaria ſunt, cùm *qui ſignorum cognitionem habuerit, is ſolus ritè curationem aggrediatur*, judice *Galeno lib. de Medico.* Sed hîc optandum, ut eâdem ſagacitate, quâ *ipſe lib. 5. de loc. aff. c. 7.* in dignoſcenda affectuum ſede ex ſolo colore uſus eſt, inſtructi eſſemus, ita ut facie inſpectâ, ſtatim de cordis, hepatis, pulmonum, ventriculi &c. vitio, nobis conſtaret: nec enim perpetuæ veritatis sunt, quæ ex ſolo colore depromuntur ſigna, cùm in aliis, tùm præſertim in noſtro quem pertractamus affectu: ut in quô ſanè non minori ac in aliis, iisque graviſſimis morbis, circumſpectione opus eſt, cum ſæpè eveniat, ut in curando ad par-

tem

tem aliquam reſpiciatur, cum tamen fons mali, in alio loco, longeque nobiliori hæreat, & ita fruſtrà fiat omnis medicatio.

Deſumuntur autem hæc ſigna, tùm ab ipſa morbi eſſentia, tùm iis quæ eam inſequuntur, â *genere ſc. ſubjecto & cauſis.* Et quidem primò GENERIS ratione, *univerſalis atrophia incipiens* ut herba veris tempore propullulans difficulter, *adulta* verò facilè cognoſcitur; extenuatione nimirum totiùs corporis manifeſtâ. Si quis enim vel plebejus hominem viderit pallentem, imbecillem, macie confectum, hunc atrophiâ vel phtoë laborare pronunciat, ut ſcribit *Aretæus 1. de ſign. & cauſ. diuturn. cap. 8.*

In *conſummata* autem *atrophia* præter *faciem Hippocraticam*, quam ſequenti diſtichô incluſit *Lucretius*:

Compreſſæ nares, naſi primoris acumen
tenue; cavati oculi, cava tempora, frigida pellis,

cervix tortuoſa eſt, larynx & ſcutiformis cartilago, quæ vulgo Adami pomum appellatur, protuberant, in thorace coſtæ evidenter omnes in viſum noſtrum incurrunt, ut numerari poſſint; Mammæ penè conſumtæ, præſertim muliebres; Enſiformis cartilago ſterno adhærens incurvata ſæpè apparet: Scapulæ alarum, claviculæ arcuum inſtar prominent, dorſi vertebræ longa ſerie omnibus conſpicuæ ſunt: In abdomine venter ita eſt depreſſus, atque collapſus, ut nulla viscera nullaque inteſtina ipſi ineſſe credas, ni hydrops ſuperveniat, qui illum in tumorem attollat. Muſculi abdominis penè conſumti ut nihil ex illis præter fibras, & cutem ſuperpoſitam ſuperſit; Os coccygis, caudæ in modum eſt exertum, clunes pendulæ; crura, brachia, pedes, manusve cum digitis arida & exſucca videntur & circa articulos protuberantiæ cernuntur, carnibus

circa eas abſumtis, cutis corrugata, *venæ* quæ prius latebant undique conſpicuæ, quin totum corpus quibusdam tantum non pellucidum & transparens apparet, ut meritò dici de iis poſſit *Plautinum* illud, quod *Aulul. act. 3. ſc. 4.* legitur,

Oſſa atque pellis totus eſt, ita macer.
Quin extra inſpicere in ſole etiam vivo licet,
Ita is pellucet quaſi laterna Punica.

Urina tabeſcentium *aquoſa & tenuis* eſt, nec raro *oleaginoſa*, corporis ſubſtantiam diſſolvi indicans. *Pulſus* eorum *parvus* & *inæqualis*, qui ideò nonnullis etiam *gracilis* audit, quia manum tangentis debiliter ferit. Vividus & roſeus faciei color in *pallorem* mutatur, ob defectum caloris nativi, qui in tabefactis interit. *Spontanea* præterea adeſt laſſitudo, viriumque omnium dejectio, cum inappetentia, nauſeâ, cardialgiâ, interdum capitis cum dolore, gravitate, aut aliis ſymptomatibus conjuncta.

A SUBJECTO & CAUSIS quæ deſumuntur ſigna, varia ſunt, & ex relatione ægri innoteſcunt. *Particularis* atrophia unicuique facilè in ſenſus incurrit. Quare nunc ad prognostica properandum.

CAPUT IX

Signa Prognoſtica profert.

AD πρόγνωσιν nunc accedimus, quæ medicum rationalem & prudentem à nudo diſcernit empirico, facitque ut *homines eò magis ſe medico concredere audeant*, teſte *Hipp. lib. 1. Prognoſt.* dum vident ipſum *de inſtantibus*, (ut ait *Thucydides) veriſſimè judicare, & de futuris callidiſſimè conjicere.*

SIGNA

SIGNA autem PROGNOSTICA, quæ circa ægroti SALUTEM & MORTEM verſantur, ratione GENERIS ab eſſentialiter inhærentibus, ſpecie ſcil. affectûs, & ejusdem progreſsû petuntur.

Atrophia ſi adhuc *incipiens* ſit, minùs periculi minatur, cumprimis ubi medicamenta appropriata, ſubſidiaque convenientia vocentur in auxilium & juſta ſervetur diæta. Verum ubi jam *incrementum ſumſit*, & firmas egit radices, ægrotantes inter ſacrum & ſaxum ſtare videntur, præſertim ubi acceſſerit exulceratio pulmonum.

Hæc ſiquidem, utut ex parte interdum dextrè adhibitis medicamentis demulceatur, tamen penitùs eradicari nequit, ſed datâ vel levi occaſione recrudeſcit iterum, & ægrotum de novo exagitat; præcipuè tempore vernali & autumnali ob aëris ſubitam mutationem, quam natura debilis ſine detrimento ferre vix poteſt: Unde novæ dantur turbæ, donec tandem ægrotus lentâ ſic morte pereat. Nihilominùs tamen ejusmodi homines, ceu deſperatos relinquere non convenit, ſed omnem impendere operam, ut reconvaleſcant. Siquidem impoſſibile non eſt, quod natura, ſi roboretur, fortiter in morbum inſurgere & victoriam reportare poſſit. Certè ſi ſanitas plenariè non reſtituitur, prolongari tamen ipſorum aliquandiu vita poteſt. Et nihil de Medici autoritate ſecedit, dummodo periculoſum morbum eſſe prædixerit.

SUBJECTI ratione, mitior illa, quæ in parte tantùm, quam quæ in toto corpore contingit.

CAUSÆ RATIONE per ἰδιοπαθείαν ipſiûs cordis quæ fit, illâ quæ per conſenſum tantum aliarum partium accidit, longâ ex parte periculoſior. Pejor quoque eſt illa, quæ

 ab

ab hæreditaria dependet diſpoſitione, quam quæ recens naſcitur, & vel â curis, triſtitiâ, inediâ, vigilis &c. contrahitur. Mulieres graviùs ex tabe laborant quam viri; Senes, quàm juvenes, illis namque *ob frigiditatem & ſiccitatem neceſſariò contingit, cum ſenium evitare nequeaut, ut ut interdum ejus celeritas œrceri poſſit, aut ore Galeno lib. de Maras.*

TEMPUS ſeu LONGITUDINEM & BREVITATEM morbi hujus ſi conſideramus, alii tardiùs reconvalescunt, *incipiens* citiùs curatur, tardiùs *confirmata*, cui certum tempus determinari vix poteſt, cùm malum chronicum ſit, quod multos in annos durare poſſit, & licet ad tempus evaneſcat, ſemper tamen nocuus latet anguis in herba, qui levem ob cauſam iterum prodit. *Autumnô* ſæpius terminatur, argumentô *aphoriſmi 10. ſect. 3.* Noxius enim ille eſt, ut *Galenus in comment.* addit, utrisque tabidis, & qui phtoë laborant ſeu ulcere pulmonis, & qui aliâ quacunque de cauſâ colliquefacti & macilenti. Adverſus autem ille eſt tabidis utrisque, quia ſiccus ſimul ac frigidus eſt & inæqualis. Addit *Magnif. Rolfincius, Epit. cogn. & cur. part. corp. aff. lib. 1. c. 6. part. 2.* tabidos ſe pejus habere, imò mori, vere potisſimum & autumno, cum ſylvæ ornantur foliis, & rurſus ſpoliantur: maximæ tum in tota univerſitate mutationes fiunt.

MODUS TERMINATIONIS vel ad *ſalutem* vel ad *mortem* fit. Ad SALUTEM *ſi â morbo bellè comedenti corpus* iterum augeatur, ſecùs ſi fiat, *μοχθηρόν*, *malum eſt* autore *Coo. aph. 31. ſect. 2.* Ad MORTEM tendit, ſi accedat pulmonum exulceratio, cum ſputo ſanguinis, quod *ſi fuerit retentum*, ut ampliùs id ægroti extuſſire nequeant, ſuffocantur, ſecundum *aph. 16. ſect. 7. Qui tabe vexantur, ſi ſputum quod extuſſiunt, carbonibus injectum olet graviter, & capilli â capite*

defluunt

defluunt, lethale, effatò *Hippocratis* 5. *Aph.* 11. *Si alvi fluxio ſuperveniat, moriuntur.* 5. *Aph.* 12.

CAPUT X
methodum medendi proponit.

PErſpectis nunc iis, quæ ad affectûs noſtri naturam, cauſas, prognoſin & diagnoſin ſpectant, proximum eſt, ut ad ejus θεράπειαν nos convertamus. Siquidem *Galenus* malè imprecatur iis, qui medicæ ſpeculationis vel principes ſe jactant, nulliûs verò ægri aggredi volunt curationem: Cùm tamen *pleraque non ratiocinatione, ſed auxiliò indigeant*, monitore *Hippocrate lib. de elegant. orn. med.*

Quare ad CURATIONEM ſine mora accedimus; quæ utplurimum duobus nititur fontibus. *Indicationibus ſc. & præſidiorum materiâ.*

INDICATIONES autem, â rebus præter naturam quæ petuntur, communiter tres numerantur.

A morbo CURATORIA, in morbo præſenti complicato, imminutam ab *exſiccatione* magnitudinem, ſive in toto ſit, ſive in parte tantùm ἀναθρέψει per *humectantia* emendare jubet. Omne ſiquidem membrum *Galeno* teſte, ſuum ſibi alimentum requirit, quô reſtaurerur id, quod naturali & accidentali calore intùs & extrà diſſolvitur.

PRÆSERVATORIA cauſas oppugnat; Nam *humores* in corpore peccantes evacuandi ſunt; ſanguis ſuccus alibilis ſi *vitioſus* ſit, corrigendus, ſi *quantitate deficiat* augendus, ſi *excedat*, diminuendus eſt.

Si *calida* adſit *viſcerum intemperies*, frigidis alteranda; ſi *frigida*, calidis tollenda. Si adſint *vermes*, necandi ſunt, quin prorſus ex humano corpore expellendi; quoniam *ex*

genere eorum, quæ totâ ſubſtantiâ ſunt p. n. judice *Galeno meth. med. cap. 19.* SYMPTOMATA præterea vehementiora, remediis convenientibus mitiganda.

VITALIS jubet facultatem nutricem, vires cordis, cæterarumque partium, per commodam victûs rationem & medicamenta corroborantia, in priſtinum ſtatum reducere, reductaque in eô conſervare.

MATERIÆ *præſidiorum* ſcopo huic inſervientium, ex triplici uſitato fonte, *Chirurgico ſc. Pharmaceutico & Diæetico* ſunt depromendæ.

CAPUT XI
fontem chirurgicum aperit.

PRimarium fontis CHIRURGICI remedium VENÆSECTIO eſt, quæ an in affectu noſtro conveniat; diſquirendum venit: Dantur enim non pauci, qui venæſectionis uſum hîc planè diſſvadent, dicentes, quòd eâ vitæ & nutritionis noſtræ pabulum exhauriatur, cor & reliqua viſcera, quæ hic laborant, valdopere debilitentur, viresque proſternantur.

Verùm reſpondetur, hoc quidem non negari, quod venæſectio, ſi nimis largè ſanguis emittatur, præſertim in ætate tenera aut decrepita, debilitare hominis naturam, cordis cæterarumque partium vires proſternere queat. Sed an hoc ubique & in omnibus ſpeciebus contingat, de eô meritô dubitatur: Siquidem contrarium teſtantur exempla multorum Autorum. In Oeniadis, virum tabescentem & ab omni pharmacorum genere minimè adjutum, *ſectâ per vices utriusque manûs venâ, donec exſanguis fieret*, ab extremâ liberavit macie *Hipocrates lib. 5. epidem.*

& *Gale-*

& *Galenus Comment. ad 6. epid. ſect. 3.* mulieri extenuatione & macie ſummâ, ob menſtrua ſuppreſſa laboranti, per venæſectionem breviſſimo tempore proprium reſtituit habitum. Notum inſuper eſt exemplum â *Riverio in Praxi* annotatum, quod ſupra Cap. IV. relatum fuit. Inprimis verò *Galenus 5. meth. med. cap. 14.* hoc auxilium manifeſtè approbat: *Quicunque*, inquiens, *parum habere ſanguinis videbuntur, iis ad quendam ſuccum probiorem, (ſicuti prædixi) reductis, detrahere ſanguinem poteris, tùm rurſus reficere: eosdem etiam rurſus purgare, ac rurſus reficere, denuoque ſi res ſuadet, ſanguinem mittere, potiſſimum quibus veluti limus vitioſus & craſſus totus eſt ſanguis. At qui validi ſunt, multique ſanguinis, iis ſtatim â principio detrahendus.*

Diſtinguendum igitur hîc eſt inter atrophiam incipientem & confirmatam, in *confirmata* venæſectio vix locum invenit, præſertim ſi â pulmonum ulcere originem trahat, viresque nimiùm proſtratæ ſint: In *incipiente* verò certè non ſine fructû adhiberi poterit, ſiquidem experientia docuit, marcorem â ſanguine malè ſe habente optimè Venæſectione tolli poſſe, eatenùs nimirum, quatenus cauſam marcoris vitioſum nutrimentum diminuit, mitigat & aufert V. S. Quamvis tamen viribus non niſi integris, nec promiſcuè, verùm pro naturarum diverſitate aliquibus ſaltim, nec ad animi deliquium, ſed ad ſuperflui modo diminutionem & ſymptomatum mitigationem adhibenda ſit, monente *Nobiliſſ. J. Theod. Schenckio in Diſſert. de V. S. probl. V. dec. 2.*

Cucurbitulæ Scarificatæ in αἱμοφόβοις adminiſtratæ, venæſectionis vicem ſupplere poſſunt. Haemorroidum apertionem ac fluxum ſanâſſe in quôdam Barone atrophiam in tabem degenerantem *obſervatio med. 9. cent.*

2. *Rho-*

2. Rhodii docet. Modum quoque curandi per cauteria exhibet *Schench. in conſult. l. c.*

FRICTIONES, poros cutis mirificè aperiunt ac humores ſeroſos noxios diſcutiunt. *Corn. Celſus Lib. de Vet. Med.* quò alimentum ad partes trahatur emaciatas, frictiones commendat molles, manû *oleo liliaceo* inunctâ, ne alimentum atractum diſſipetur.

CAPUT XII

remedia fontis pharmaceutica exhibet.

PHARMACIA fomitem hujus mali extinctura, varia ſuppeditat medicamenta, *mundificationi & evacuationi* corporis inſervientia, *alterantibus* & *confortantibus* minimè neglectis; unde vel EVACUAT, ALTERAT, aut CONFORTAT.

Primum exſequitur per LENIENTIA, quibus *primas* aperit *vias*, poſt DIGESTIVIS *humores* præparat *evacuandos*, denique PURGANTIBUS, *vomitoriis*, *diureticis vel diaphoreticis* rem agreditur.

LENIENTIA, à quibus omnis incipienda eſt curatio, alia per os aſſumuntur, alia per anum immituntur. Hujûs generis ſunt *clyſteres* & *ſuppoſitoria.*

Clyſteres in incipiente atrophia proſunt, quatenùs ex partibus vicinis humores pravos ad inteſtina alliciunt, vias lubricant, craſſam ac viſcoſam materiam incidunt, & vaſorum obſtructiones reſerant. Parantur illi ex herbis aperientibus, *malva, mercurial, melilot. chamomill. Rom. rad. altheæ, flor. ſambuc. branc. urſin.* &c. Quibus electuaria ac alia emollientia adduntur. SUP-

Suppoſitoria idem præſtare poſſunt, in iis qui clyſteres admittere nolunt.

LENIENTIA per ALVUM ſunt: *Manna, caſſia recens, ſolut: tamarind, polypod. decoct. prun. dulc. paſſul. minor. Pil. aloëticæ. Pil. FF. Sirup. roſar. viol. ſolut.* & alia, quæ paſſim proſtant in officinis.

PURGANTIA præcedere debent PRÆPARANTIA ſeu DIGESTIVA, cum autore *Coo 2. aph. 9.* Medicum oporteat *ante purgationem fluxilia reddere corpora*, quò humoribus præparatis & ad exitum idoneis factis, eò felicius poſtmodum ſuccedat operatio.

Scopo huic inſervire poſſunt: *Rhabarb. tinct. eſſent. ♂tis aperit., Cryſtall. ♀ri., Crocus ♂. aperiens, Sirup. pom. dulc. Conſ. roſ. alb., Magiſt. gummi gutt.* & alia.

℞. ♀ri cryſtalliſ. ℈ß
ſec. aron tinct. g jv.
croc. ♂is aper. g iij
M. D. ad chartam S. digeſtiv Pulver auf 1. mahl.

℞. aq. rad. polypod. ℥jß.
ſir roſ. ſolut. ʒiiiß.
tinctur. ♂tis dulc. ʒß.
D. in fictili. S. digeſtiv Tränck-lein.

Hiſce, ſi atrophia adhuc ſit in fieri, nec diarrhœa præſens aliud ſvadeat, PURGANTIA leniora ſuccedant, quibus humores peccantes è corpore noſtro expelluntur.

Et quidem in *Bilis* abundantia, conveniunt *aloë, rhabar. ſuccus roſar.* In *Melancholia*] *Senæ fol. Succ. pomor. borsdorf. Extract. Panchymag. Crollii.* In *Pituita*, *Agaricus. trochiſc. Alhandal. Gialapium.* Quæ ex mente autorum quorundam recenſemus.

℞. reſin. gial. g. IX.
ſcammon. g. v.
elæoſ. aniſ. g. iij.
acor. g. ij.
conſ. acetoſ. hiſpan ʒj.
M. f. c. ſ. q. ſir. de cichor. c. rhab.
Bolus.
D. in pyxide. Purgir Zucker.

℞. *M. Pil. aur. g. vji.*
extr. panchym. Croll.
rhabarb. ana g jv.
elæoſ. fœnic.
citr. a. g. ij.

M. f. c. ſ. q. ſir. conſervat. rad. acor. pilulæ
No. XXvij. aſperg. pulv. ſtomach. Quercet.
D. in pyxide. S. Purgirpillen auf 1. mahl.

Tempus aſſumendi purgantia, utplurimum ſunt horæ matutinæ, ubi in juſculo convenienti pharmacum purgans aſſumi poteſt: Nihil tamen intereſt, quò minus etiam ante prandium vel cœnam aſſumi poſſint, ſi ſcil. ſint leniora, ut *Pilulæ aloëticæ. Pill. F. F. & Glaſſianæ* ſecretæ compoſitionis, *pilulæ vitæ* dictæ.

VOMITORIA hîc exulare videntur, cum *Hippocrates 4. Aph. 8. Tabidos cavere* jubeat *purgationes per ſuperiora.*

DIURETICA hîc quoque vix locum inveniunt, præſertim vehementiora, ſerum enim, ſucci nutritii vehiculum, ſecum è corpore noſtro abripiunt, & ariduram in partibus cauſantur, ut patet ex iis, qui diabete laborant.

Idem ferè de DIAPHORETICIS ſentiendum eſt, cùm præter id, quod corpus exſiccent, vires corporis etiam debilitent.

ALTERANTIA & corrigentia ſangvinem hiſce ſuccedere poſſunt. Ubi locum habent *Elixir. Propriet. Paracelſi, Album Helmontii, Elixir Propr. Antiſcorb. Rolfincii. Tinct. Flor. compoſ. ejusdem. Margaritæ trochiſcatæ Mynſichti.*

CONFORTANTIA cor & reliqua viſcera minimè negligenda ſunt. Nam Medicus naturæ miniſter, adjuvare eandē debet, quò roborata eò fortius in morbos inſurgere, eosdem procul à ſe propellere queat. *Roborantia* talia ſunt *Pulvis polychreſtꝰ imperialis Mynſychti, morſulæ imperiales ejusdē. Elixir vitæ Mathioli. Aqua cordialis Hercul. Sax. Pulvis refectivꝰ Mynſichti.*

chri. Confectio Alchermes. Eſſentia rorellæ, ut & ipſa *herba rorellæ* à muſco purgata, quam cum *melle* & *ſaccharo* mixtam, ad vitæ longævitatem facere tradidit *Iſaacus Hollandus. Diſſert. de vitæ prolong. J. Heurnius lib. de morb. pect. cap. VII.* accipit *capum ſucci plenum ritè præparatum, hordei mundati, paſſular. Corinth. acori* ſingulorum manipulum, ventri innectantur: affunde vini rubri quartarios duos, adjice parum cinamomi, bulliant dum exoſſentur: deinde in mortario capus teratur, poſtea per ſaccum Hippocraticum coletur: Sumat æger liquorem tepidum manè, meridiè, veſperi, cum trium ovorum recentium vitellis.

℞. conſ. fl. 4. cord. ana ʒjß.
farfar. ʒj.
cond. cort. citr.
lactuc. hiſp. ana ʒvjj.
zzib. indic. ℥ß.
nuc. m. ind. ℥j.
conf. alcherm. ʒjß.
ſuccol. indor. ℥ß.
pinear. rec.
piſtac. non rancid. ana ℥j.
amygd. ambroſ. exc. ʒjß.
ſpec. diair.
diatrag. ana ʒj.
diarrhod. abb. ʒj ℈j.
Conciſ. conſcind. M. add.
ſaccar. violat. in ſ. q. aq. pulm. vit. ſolut. ℥xij.
F. l. a. Morſuli. pond. ℥ß. ſub finem aſperg.
ol. acor.
menth. dl. a. g. viij.
citri puri.
macis dl. a. g. vj.
cinam. g. jv.
lign. rhod. g. viij.
D. in ſcatula munda. S Stärck-morſellen.

EXTERNE conveniunt *ungvent: reſumt. uſitat.* in officinis, *pingved. human. urſi, angvillæ, vulpis &c.* ☍ *lumbric. tereſt, lauri, terebinth,* ex quibus cum *cera alba* l. a. ungventum fieri poteſt pro lubitù.

Atrophia particularis, quæ vulneribus, luxationibus, tumoribus, contuſionibus & paralyſi interdum ſuccedit, multum negotii faceſſit Medicis reſpectû curationis, teſtante *Hæfero in Herc. Medico. Gvil. Fabricius fol. 59.* præmiſſis

 purgan-

purgantibus & diæta, brachium atrophiâ omninò exſuccum, & ſine motû pendulum, bis terve in die, *decocto capitis, pedum & inteſtinorum* vel vituli vel vervecis, cum lumbricis ſimùl coctis, fovere juſſit, quoad pars inciperet rubeſcere; tum præſtò fuit famùlus, qui parvô quôdam inſtrumentô corneô, ſupra anguſtô, infra latô, præcipua brachii vaſa ſugeret. Ita nutrimentô attractô brachium in antiquam formam rediit: Cujus inſtrumenti vices ſupplebunt cucurbitulæ ſiccæ. Vel,

℞. *ſevi bovini recentis* ℔j.
limacum ℔. ſ.
lumbric. terreſtr. ℥viij.

Contunde & miſce ſimùl, ſuppone fimo, donec putrefacta albeſcant. Tunc coquantur, liquor qui oleaginoſus apparet, ſeparetur, inungatur loco affecto.

Ex vulnere malè tractatô, quomodo curetur atrophia, proponit *Joh. Agricola*, in ſeiner neuen Feldſcherer-Kunſt.

In atrophia ex PARALTSI ſequens remedium commendatur â *Joh. Heurnio cap. de Paralyſi.*

℞. *vini Cretici ſ. malvatici* ℔ iij.
ſacchari optimi ℔ ij.

Coque lente in ſyrupum, utere cum duabus partibus juſculi pulli gallinacei, adde nonnunquam vitellum ovi: Partes gracileſcentes ungantur tunc *oleo amygdal.* Addit *parum chamæmelini ex flor. immaturis interdum.*

Probê tamen diſtinguendum eſſe monet dictus *Heurnius l. c.* inter atrophiam & paralyſin, nam interdum atrophia quædam ſolvit partium robur; hic abſint ſiccantia.

FRICTIONES pro exercitio ſint ægris: quæ primùm fiant ex parte ſanâ, deinde ad ægram tendant. Nullum pedibus concedatur otium, qui etiam in ipſo lecto agitentur, niſi ipſe æger vel adſtantium ope, vel ſcipionibus gradiatur.

In

In atrophia *puerorum* à *dracunculis* (ſeu vermiculis in cute, juxta partes carnoſas & muſculoſas â, vitiato nutrimento progenitis) hanc curam approbatam eſſe, ſcribit *J. Hartmannus in Praxi Chymiatr. p. 233.*

℞. *Radicis bryoniæ* ℥*j.* vel *ij.* coque in lixivio è cineribus quernis parato in pulticulam, quâ pueris dranunculis laborantibus (imperata ante inediâ manè) in loco calido (balneo) illine totum corpus & relinque aliquandiù, ſic vermiculi per poros exſerunt capita nigricantia. Itaque univerſa cutis ſtatim radenda eſt novaculis. Amputātur hâc ratione capita vermiculis conſumtoribus, quas **die Mitteſſer** nominant, & cauſa vitiatæ nutritionis aufertur.

Repetenda autem ſemel atque iterum hæc operatio, donec certum extiterit, vermiculos omnes eſſe ſublatos. Exinde pueruli balneentur aliquoties in inſeſſibus illis de quibus ſupra dictum eſt, vel ex *capitibus, & pedibus vervecinis* vel ex *corticibus ſalicum rubeis* præparatis:

Atrophiæ curatio *magnetica* ab *Hartmanno* proponitur in *Prax. Chim. l. c.*

Caput XIII
diætam ordinat.

BOnum DIÆTÆ regimen, ut in aliis morbis, ita quoque in præſenti maximô cum ægrorum commodô inſtituitur.

Sicut enim commiſſi in diæta errores plerorumque morborum origo ſunt; ita bona victus ratio ſæpiùs ſola curationis punctum omne abſolvit.

Conſiſtit autem ea in acuratâ *rerum ſex non naturalium* obſervatione.

In *diæta* VITALI, *Aër* eligatur temperatus, & purus, nullis inqvinamentis permixtus, ſed liber, qui lenibus & ſvaviter ſpirantibus ventis modicè agitetur, & ſerenitate multâ clarens ſpiritus noſtros recreet.

Si nimis ſit calidus, per diſperſas per conclave herbas refrigerantes, folia nympheæ, vitis, roſarum, infuſione aquæ frigidæ ex uno vaſe in aliud, vel ſuſpenſis hinc inde in cubiculo linteis madefactis aquis ſuaveolentibus, corrigatur. Si nimis ſit frigidus, monitô *Horatii lib. 1. od. 9.* Ligna ſuper foco largè repones.

In NATURALI *Cibi* ſint boni ſucci & facilis coctionis, facultate nutriendi & inſimul corroborandi præditi. Laudantur *Carnes agninæ, hædinæ, vitulinæ, caro caponum, pullorum gallinaceorum*, quæ condiri poſſunt cum ſucco limonum, citri, aurantiorum aut granatorum acidorum. Proſunt quoque carnes Phaſianorum, pipionum, perdicum, attagenarum & avicularum in liberis locis, montibus & ſylvis degentium. Harum ſiquidem caro facilè concoquitur & mirificè corpus nutrit ac reficit, præſertim ſi in jure proprio cum *amygdalis, paſſul. minor.* & modico *cinamomi* præparetur. *Juſcula* multum ſucculenta ex iisdem cum amygdalis, paſſulis vel ſaccharo roſato parata. *Ptiſana*, cum ſaccharo & paſſulis minoribus magni quoque hìc æſtimatur.

Pertinent hùc *ova ſorbilia*, decoctum *cancrorum non aromatiſatum. Carnes cancrorum fluviatilium, teſtudinum nemoralium, ſaccharô & farinâ albiſſima* nutritorum: *Piſces*, ſaxatiles, lucioli, ſalmerini, funduli, percæ, trutæ, & ſimiles; Rejiciuntur illi qui in locis paludoſis, & aquis putridis capiuntur.

Olera, quæ hìc conveniunt, ſunt lactuca, portulaca, endivia, cichorium, beta, acetoſa &c. *Fructus*, ceraſa

acida,

acida, pruna damaſcena, fraga, poma Borsdorffiana, pyra dulcia. Cocti tamen fructus, ſemper utiliores ferè ſunt, quàm crudi.

Potus ſit *cereviſia* benè defecata, dulcis non acida; commendatur *cereviſia Numburgenſis*. *Vinum* bono colore, ſapore & odore præditum, ſi moderatè bibatur; ad celerrimam tùm nutritionem tùm corroborationem plurimûm facit: unde *Eccleſiaſt. cap. 31. v. 32. Vinum*, inquit, *reficit hominis vitam, ſi moderatè bibatur*.

Lacte in hoc affectû vix datur remedium præſtantius. Hoc enim ſi mediæ ſit conſiſtentiæ, boni odoris ac ſaporis dulcis, emaciatis corporibus bonum alimentum idque copioſum & ſatis conſtans ſuppeditat: Inprimis *lac humanum* à bonæ conſtitutionis fœminæ mammis profluens, utpote noſtræ naturæ familiariſſimum, præ cæteris nutrit potentius. Huic ſuccedit *Vaccinum* recens mulctum & ſaccharo, ne coaguletur in ventriculo, mixtum. *Aſininum & caprinum*, præprimis ſi herbis appropriatis hæc animalia nutriantur, ſuis non carent virtutibus. *Eqvinum* in atrophia ex ſumto philtro auxilium eſt præſtantiſſimum, ſemper tamen cum pauxillo ſacchari exhibendum, autore *J. Hartmanno in Praxi Chym. p. 232.* Exhibeatur autem corpore adhuc jejunô, eôque aſſumto ab alio cibo per horas aliquot eſt abſtinendum. Singularem curam per lac aſininum proponit *Schenck. in conſult.* Quibus autem lac conveniat, & quibus non conveniat, optimè expoſuit *Hipp. 5. Aph. 64. & Galenus. 3. de aliment. facult.*

Ordo & tempus, quô aſſumatur *cibus & potus*, probè obſervanda; Noxium ſiquidem eſt, priori nondum concocto, alium ingerere cibum. Noxium quoq; eſt extra cœnam vel prandium ſæpe bibere, vel inter cibandum unicô hauſtû

pocula

pocula evacuare, ſemper enim, non unâ, ſed pluribus vicibus potum aſſumere plùs expedit. Paulatim namque quod fit ſecurum eſt, tùm vel maximè, ſi quis ab uno ad alterum transierit, teſte *Hipp. 2. Aph. 51.* Commeſſationes & compotationes cane pejus & angve vitentur, nam multi cibi, multi potus, multos morbos procurare ſolent; Una autem temperantia totiûs eſt jucundæ ſalubrisque vitæ moderatrix: Nullô morbô aut calamitate premetur, qui vitæ fundamentum jecerit temperantiam.

Non diù jejunent, aut cœnam intermittant inſueti, ventriculus namque eorum vacuus, impuris ſe ſatiat humoribus, bilisque redditur ferventior.

Ut autem in omnibus rebus, ita etiam in præſentibus *cibo, potu, corporis motu, quiete &c.* ſemper *aliquid dandum eſt tempori, ætati, regioni & conſuetudini*, monente *Coo 1. Aph. 17. Et conſueta longo tempore, etſi deteriora inſuetis minùs moleſta eſſe ſolent. Quare ad inſolita quoque ſenſim facienda mutatio,* ſecundum *Aph. 50. ſect. 2.* Quibus adnumerari poteſt appetitus iſte ægrorum, qui interdum neutiquam deſerendus; confidentiâ ſiquidem in Medicum & medicinam, inque ea, quæ appetuntur, plures reſtituuntur, quam rigidè obſervatis artis regulis. Sic vir ille Brixienſis apud *Panarolum Pentec. 2. obſerv. 36.* macie confectus ſupremâ, & morti ferè vicinus, citria mala ſummoperè appetens, unum integrum & inſignis magnitudinis citrium comedit malum, quô devoratô meliùs ſe habere cœpit & convaluit.

IN ANIMALI corporis *Motus moderatus* maximè utilis eſt: Tria namque præcipuè commoda homini accedunt ex corporis exercitio: primum eſt membrorum durities, ex mutuô ipſorum attritû proveniens? alterum,

rum, caloris innati augmentum; tertium, ſpirituum motus citatior, autore *Galeno lib. 2. de San. tuend. cap. 2.* Semper tamen ante prandium vel cænam fortiùs corpus exercere convenit: Poſteà verò lenis deambulatio inſtituatur.

QUIES nimia & vita perpetuò ſedentaria vítetur, hæc enim nativum calorem ſuffocant, ſanguinis circulationem retardant, & alimenti per partes diſtributionem impediunt: Inprimis verò ubi accedunt lucubrationes vel meditationes ſtatim à ſumto cibo inſtitutæ, quibus Spiritus & calor à ventriculo avocantur, & viſcera inſigniter debilitantur.

SOMNUS & VIGILIÆ modum non excedant. VENUS *per intervalla* ita in uſum trahatur, ut neque reſolutio aliqua inde ſentiatur, & ipſe homo quodammodo levior factus, meliùs ſpirare videatur, autore *Galenò in Arte Med. c. 85.*

Balneum aquæ dulcis, ni inflammatio aliqua, aut eryſipelas adſit, poſt coctionem in ventriculo abſolutam, ſæpiùs adhibitum mirificè commendat idem *Galenus lib. de Marc.*

EXCERNENDORUM etiam decens habeatur ratio. ANIMUS eſto hilaris, ſuavi excitetur muſicâ, amicis colloquiis. Nemora & hortos adeat æger magnificè exſtructos. *Iram, invidiam, triſtitiam, & ſolitudinem vitet*, & juxta monitum *Horat. l. 1. carm. od. 26.*

Tradat protervis in mare Creticum
Portare ventis.

Plura forſan de diæta eſſent dicenda, verùm cum hæcce ex ſuperioribus, quæ *cap. V.* de Rebus nonnaturalibus dicta fuêre, facilè colligi poſſint, ut hic prolixiores ſimus, non erit opus.

Quare hîc pedem figimus, & noſtræ diſſertationi imponimus coronidem.

SOLI DEO OMNIPOTENTI SIT,
SEMPITERNA GLORIA!

Sex ferè ſunt anni, terris quum Is Magnus abibat,
cujus adhuc lacrymis oſſa Salana rigat.
Oſſa rigas Salais? Cur? Parce rigare beata;
mortuus in *Natô* mox redivivus erit.
Nam perdocta refert, nec non defendit acutis
de cathedrâ labiis non ſine laude ſuâ:
Ominor hinc, medicas ſi pergit diſcere curas,
clara ſui Patris nomina jure ferat.

cum votô felicium ſucceſſuum animitùs gratulatur

PRÆSES.

Mon-

MOnſtras, CHEMNITI, quid ſit nutritio læſa.
Ipſeq; nutritus quod ſatis arte ſies.

Eruditiſſimo Dno Autori benevolentiæ teſtandæ causâ apponebam properiter

Rudolphus Wilhelmus Krauß/
Phil. & Med. D. P. P. Ord.

VT PATER EXCELLENS animis medicamina feſſis:
Attulit, & ſancta propulit arte malum:
Sic Tu corporibus curas afferre ſalutẽ
Atq; Machaonia clarus in arte clues.

Hiſce
Præ-Eximo atque Eruditiſſimo
DN. SAMUELI CHEMNITIO,
Magni Parentis Filio æmulo,
Fautori & Amico ſuo honoratiſſimo,
de
tàm egregio Eruditionis ſpecimine
animitùs gratulari voluit
CASPAR SAGITTARIUS.
Philoſ. Mag. & SS. Theol. Ddus.

Wer

Wer ohn die Tugendt meint zu Ehren zu
gelangen
Betriegt ſich ſelbſt / man muß zuvor der
Tugendt-Hauß /
Betreten / eh man kan im Ehren-Tempel
prangen
Diß iſt allein der Weg / der zwar nicht ſon-
der Strauß /
Jedoch ohn zweiffel führt zum ſchönen Schloß
der Ehren.
Sehr wohl! wer ſo wie ER nach Kunſt und
Weißheit dringt /
Man ſehen ſeinen Ruhm von Tag zu Tag ſich
mehren /
Biß Er ſich endlich gar biß an die Sternen
ſchwingt.
Jch wünſche Glück zum Lohn ſo einſten Jhm
wird Krönen /
Zum unverwelckten Ruhm den kein Unfall
der Zeit /
Kein ander Ungemach kan ſchaden noch ver-
höhnen /
Es iſt der Ehren-Krantz der grauen Ewig-
keit.

Heinrich Friedrich Chemnitz /
Berolinenſ. LL. Stud.

FINIS.